

Lingua Latina lapidea dicitur facta.
Ecce linguae Latinae uita!

Historiola reginae linguarum
per Valahfridum Stroh illustrata*

Wilfried STROH, *El latín ha muerto, ¡viva el latín! Breve historia de una gran lengua*, trad. de Fruela Fernández, Barcelona, Ediciones del Subsuelo, 2012, 375 pp. ISBN 978-84-939426-6-3.

De libro scripto ab egregio Valahfrido Stroh, professore emerito Philologiae Classicae in Vniuersitate Studiorum Monacensi, primum Germanice euulgato anno 2007, qui eruditissime salseque compositus de historia Latinitatis *ab ouo*, quod dicitur, *usque ad mala* agit, certior facta sum postquam editio princeps in sermonem Francogallicum uersa est, id est anno 2009¹. At quamquam illo tempore delectata sum lectione multorum capitulorum², difficilius tamen erat librum commendare amicis discipulisque Germanice uel Francogallice nescientibus. Quamobrem impraesentiarum lectores Hispani nobis congratulamur, quoniam uersio Hispanica huiusce opusculi recentissime in lucem edita est, cui quidem additur alia causa gaudii, nam praefatio a sodale nostro Ioachimo Pascual scripta est (pp. 13-18). Quod enim demonstrat uiuae Latinitatis semina in Vniuersitate Studiorum Gaditana sata sensim germinauisse floruisseque, quippe cum anno 2002 ex Vniuersitate Studiorum Kenctukiana (USA) Eduardus M. Engelsing, iuuenis magister Brasilianus alter Cicero magno ingenii acumine praeditus, Gades aduenerit, qui

*Haec commentatio scripta est auspiciis ac stipendiis Hispanici Ministerii Publicae Institutionis Scientiaeque atque Baetici Consilii, quorum sigla uulgo FFI2012-31097 et PAI05-HUM-4858 sunt. Debitas gratias primum ago Magistro Iosepho Mariae Maestre, professori Cathedrario Latinitatis in Vniuersitate Studiorum Gaditana, qui nobis humaniter consilia prudentissima impertuerit cum nunc, tum semper. Gratias quoque habemus Iosepho Rojas Carrera, magistro in Lyceo Allorensi (Malacae) et collegae *Circuli Latini Gaditani*, quod commentationem totam diligentia perlegerit atque opportunas emendationes fecerit. Mendorum autem, si qua his in paginis essent adhuc mussantia in auctricem, ratio erit a me sola repositenda. Ceterum de sententia tituli q.e. "lapidea dicitur facta" cf. infra n. 5.

¹ Versio exstat Latina breuiata, cui titulus est *De lingua latina non semel mortua, semper rediviva*, oratio scilicet habita Romae in conuentu omnium gentium *De Latinitate futura* anno 2007. In pagina interretiali professoris Stroh (cf. infra n. 11) lectori licet orationem inuenire hanc, quae nonnullis locis cum eis congruit, quae auctor scripsit in libro Theodisce exarato: *Latein ist tot, es lebe Latein!* (2007). Etiam fatendum est eam mihi fuisse usui magno ad existimationem hanc scribendam.

² Eo luculento Valahfridi libro a me perfecto, nomen q.e. *Garrulorum grex* addito salis grano usurpauit, quod lectores curiosi spectare possunt in margine dextra paginae illius in Rete Vniuersali a me sctructae abhinc sex annos, cui nomen est *SAL. Scriptorium Academicum Latinum*, praemio uno et altero a moderatoribus Vniuersitatis Gaditanae cohonestatum propter eius nouitates didascalicas. Cf. *Le latin est mort, vive le latin! Petite histoire d'une grande langue*, Paris 2009, p. 268 (p. 343 versionis Hispanicae).

primus nobis, magistris professoribusque Gaditanis, aperuerit uiam ad Latinam linguam docendam, ut oportet, scilicet Latine³. His fundamentis tamquam seminibus positis, Gaditana arbor adoleuit firma producens ramos in amplitudinem diuersam, quorum alius est prolatus in illum XI Conuentum *Academiae Latinitati Fouendae* (ALF) Ampostae Alcagnicique celebratum anno 2006, Iosepho M. Maestre et Ioachimo Pascual ducibus, alius deinde ramus productus est in binos *Circulos Latinos*, et *Gaditanum*, cuius ego ipsa nunc moderatrix sum, et *Xerensem*, cui Ioannes I. Cienfuegos praefectus est, alius postremo ramus extentus est in seriem illam Conuenticulorum annuorum ab Antonio G. Amador atque Aemilio Canales inde ab anno 2005 conuocatorum ex Societate c.t. *CulturaClásica.com*, in quibus egregii professores peregrini inuitati sunt ad orationes Latine habendas coram magistris Lyceorum necnon Vniuersitatum Studiorum nostratum. Neque etiam praetereundum est nomen Antonii Capellán, perillustris architecti Hispani maximi fautoris uiuae Latinitatis, cuius expensis uterque Conuentus *Academiae Latinitati Fouendae* (ALF) in Hispania conuocatus est, primum Matriti anno 2002, deinde Alcagnicium Ampostaeque anno 2006.

Conabor igitur paucis uerbis, quod difficilius erit, primum plane exponere quod propositum professori Stroh fuisset scribendi hanc pulchram historiolum Latinitatis; deinde id quod ipsa de tota re sentio, aperire, omnibus libri locis diligenter lectis examinatisque.

Non est propositum auctoris firmissimis rationibus demonstrare Latinam linguam uiuere, immo contra quasi “laudator funebris eius” ipse exsistit: mortuam esse concedit linguam Latinam eamque non semel, sed saepius uita defunctam esse affirmat. Quater aut quinquies iam animam efflauit, sic tamen ut semper mirum in modum conualuerit et reuixerit. Quintam autem uitam Latinitas impraesentiarum uiuit. Quare factum est ut non uiua illa quidem dicenda, sed pro immortalis, quod maius est, habenda sit. De his igitur mortibus et ortibus “reginae linguarum”, quam ipse appellat (pp. 26, 249, 307, 356 et 359), scribit professor Stroh hoc in libro.

Totum uolumen diuisum est in septendecim partes, “introitu” (pp. 21-26) atque “epilogo” (pp. 357-364) exceptis, quae singulae partes Latinis titulis inscriptae sunt, inde a primo capitulo nuncupato “Ab ouo!” usque ad ultimum cui titulus est “Loquamur Latine!”⁴, quod significat librum lectori fines Latinitatis statuere ac patefacere certos

³ Ab Iosepho Maria Maestre, moderatore Instituti Philologiae Classicae, Eduardus M. Engelsing Gades inuitatus ad docendam modo actiuo linguam Latinam, apud nos professus est usque ad annum 2007. Paulo post Dissertationem Doctoralem c.t. *Latin as lingua franca: Non-native speakers legitimately participating in a community of practice / Latín como 'lingua franca': la participación legítima de hablantes de latín no nativos en una 'comunidad de práctica'* feliciter defendit inter conuentum Alcagnicium celebratum mense Octobri a. 2010 eumque dicatum clarissimo professori Cathedrario Ioanni Gil Fernández, cuius sub duce una cum Iosepho M. Maestre et Viola Pérez Custodio Thesim optime confecit. Hodie Eduardus alios Latine loqui docet in Vniuersitate Studiorum Vasingtoniana (USA) et Pontificia Romana (Italia). Ceterum codex excerptorius ille a me structus inter sessiones ab Eduardo Engelsing modulatas partes agit primas in usu Latinitatis meae hodiernae et cotidiana.

⁴ Mendum haud illepidum lapsus est in indicem, nam hoc in libro *omnia uincit amor*, ut uidetur: in pagina 11 perperam legitur **“Loquamor”*. Paucissimi quidem errores in opere inueniuntur, plerique autem debiti sunt translatori aut domo editoriae, nequaquam auctori. In p. 88 tamen legimus hoc: “ne prohibete”, quod inter-

prima ex fronte, id est ab eius originibus tamquam loquela rustica circa saec. VI a.Ch.n. usque ad eius usum institutionemque tamquam linguae uiuae saec. XXI, post quattuor saltem seuerissimos rigores mortis nuntiatos.

PRIMA “mors” fusiis descripta est per capitula octo, quibus tituli sunt “Ab ouo”, “Litterae Latinae”, “Non hominis nomen”, “Spes altera Romae”, “Saeculum Augustum”, “Urbi et orbi”, “Mors immortalis” et “Ciceronianus, non christianus” (pp. 27-163), quorum partes agit primas M. Tullius Cicero, “eloquentiae nomen” (p. 59) apud Quintilianum, “facundiae Latiarumque litterarum parens” apud Plinium (p. 75), per quem aequalesque (Vergilium uidelicet, Lucretium, Catullum, Horatium, Ouidium et Liuium) factum est, ut tunc Latinae litterae non modo pares, sed etiam superiores Graecis uiderentur. Hinc etiam diuulgari sermo Latinus coepit una cum litteris per imperium orbemque terrarum, cuius clarus testis fuit uix uno saeculo post Plinius in *Naturali historia* (p. 122): “Italia [...] ferasque linguas sermonis (sc. *Latini*) commercio contraheret ad conloquia et humanitatem homini daret”.

Alia sententia mira q.e. “Nascitur Christus, moritur lingua Latina” (p. 134) professor Stroh rem confirmare uult praecipuam: Latinam nempe linguam inde ab aetate Augusta fere nullas subiisse mutationes, sed unam eandemque mansisse, nisi quod, ubicumque necesse fuisset, noua uerba formata essent. Praecepta autem grammatica semper eadem ualuerunt: id uidelicet Hispanice “petrificación” in libro appellatum est (p. 124), quod sibi uult linguam Latinam quasi “lapidescere” uel “lapideam fieri” uiuam, ut uerbis Plinianis rem ego ipsa uobis illustrem ad uiuum: *aiunt tactu protinus lapidescere, si uiuat*⁵. Quod plane liquet, si cum Ciceronis locis conferimus epistulam Senecae quamlibet aut Diui Hieronymi, qui quattuor saeculis post scripsit; quod etiam latius patet, si epistulas aliquot Caroli Magni, Petrarcae, Erasmi, Benedicti papae comparauerimus inter se, nam unam atque eandem linguam reperiemus, nihil, quod ad syntaxin et morphologiam quae dicuntur attinet, ibi mutatum seu nouatum inspiciemus. Vnde potius quam “mors” uera, orta est immortalitas Latinitatis uel, ut melius dicam, sermonis Latini “doctorum hominum”, nam simul uigebat aliud genus sermonis Latini dicti “uulgaris” ab indoctis usitatum aut in loquendi usu communi uersatum (pp. 137-138).

Sed ut ad propositum reuertamus breuiterque ceteras “mortes” percurramus, SECVNDA eo tempore accidit quo Germanis in imperium Romanum irruentibus tota Europa ac pars Africae perturbabatur. Tum etiam in omni Romania quae dicitur euanuit et quasi corrui institutio grammatica, quae a solis Anglis et Hibernis seruabatur. Fuit uero

pretatum est “no impidas”, sed rectius est “no impidáis”; in pp. 117-118 uerbum Horatianum “discet” interpretatum est “me enseñará”, rectius autem sit “aprenderá”, quae interpretamenta nescimus utrum debeant imputari auctori ipsi an translatori. Ecce exempla alia negligentiae typographicae: in indice p. 9 mendum apparet q.e. “Medieum” pro eo q.e. “Medium”; in p. 50 ubi legitur: “*mastigias* (vocativo de *mastigia*)” legendum est “*mastigias* (*mastigia* en vocativo)”; in p. 319 ubi legitur “indique” legendum est “undique”.

⁵ Cf. PLIN., *Nat.* 32,22. De uocabulo q.e. ‘lapidesco’ tantum a Plinio usurpato cf. et PLIN., *Nat.* 2,226: “folia lapidescunt”; 24,120: “ut spongeae ipsae lapidescant”; 16,21; 31,28; 31,111; 35,167; 37,52. De locutione q.e. “lapideus fieri” cf. et PLIN., *Nat.* 1,31a: “quae lapideae fiunt aut lapidem faciant”; PLIN., *Nat.* 36,131: “lapidea fieri”; CIC., *Diu.* 2,65: “lapideus dicitur factus”.

Petrarca qui imaginem “*medii temporis*” (p. 185) finxit plus minusue obscuram, re autem uera tempore huius secundae mortis et oratio soluta et poesis miro modo fulserunt.

Mors TERTIA aduenit saeculo decimo tertio cum litterae Latinae languere coeperunt, nam ingeniosissimus quisque ab elegantia sermonis maxime abhorrebat. Tum uero exortum est aridum illud et exsanguis genus dicendi quod nunc appellatur “*scholasticum*”, celebrabatur autem maxime in uniuersitatibus a theologis et philosophis. Quorum scripta tam remota erant a Ciceronis elegantia, ut ille, si reuixisset, uix intellecturus fuerit quid dicerent (p. 196). Vtraque mors enarrata est per duo capitula quibus indices sunt “*Medium Aevum*” et “*Studia Humanitatis renata*”. Quippe enim pars dicata aetati litterarum renatarum in Italia ac studiis humanitatis in Europa inde a saeculo XV usque ad saeculum XVII peractis amplissime transcurrit per quattuor capitula inscripta “*O saeculum! O litterae!*”, “*Res et uerba*”, “*Frangito barbitum*” et “*O tempora! O mores!*” (pp. 203-289), in quibus occurremus hominibus haud paucis qui in Europa et praesertim in Germania inclaruerunt Latine loquentes, quales fuerunt Petrarca, Valla, Poggius, Huldericus de Hutten, Conradus Celtis, Iohannes Reuchlin (“*Capnion*”), Erasmus (“*miraculum mundi*”), Melanchthon, Lutherus, Iacobus Balde, Pontanus, Holbergius et ita ceteri.

Duodeuicesimo saeculo exeunte, in omni Europa scholae in Uniuersitatibus Studiorum pleraeque uernaculis linguis habebantur et “*stupor paedagogicus*” dominabatur (p. 297). Vnde haec mutatio rerum, quae quasi mors QVARTA Latinae linguae nuncupanda est (uideatis capitula quibus tituli sunt “*Non vitae, sed scholae*” et “*Romani an Germani*”, pp. 291-336), quippe quae paene extincta iaceret multique id ipsum interrogarent quod nunc solent: “*num descendum Latine?*” (p. 21). Iterum autem mirum in modum ea reuixit.

QVINTA tandem mors Latinitati nunc imminet, quae tamen utrum mors uera sit an denuo morbus, ut eisdem uerbis professoris Stroh utar, aliquis in dubium reuocare potest. Nec de exitu constat.

Etenim per trecentas septuaginta quinque sapidas paginas easque uiuidissime descriptas professor Stroh aliquatenus respondere conatus est ad interrogata quae in mente multorum hodie uersantur de emolumentis utilitateque linguae Latinae, sed praesertim conatus est respondere ad quaestiones quibus inde a saeculis XV et XVI humanistae qui dicuntur conati sunt quoque responsa dare: Quomodo nempe Latinitatis nitorem discipulis proferamus? Quemadmodum politiones litteras compendio doceamus, eloquentiam stilumque paremus? Si Latina enim a plerisque hodie habeatur lingua taediosa ac difficilis, causa est, ut professoris Stroh opinio fert, quod tantum per grammaticam artem neque per aures eiusque usum discitur ideoque methodum quam commendat ad Latinam linguam docendam, nullam meliorem existimat quam Latine loqui atque etiam canere (rem miram!) quantum fieri potest, necnon mendis indulgere, quod non est minimi ponderis, mea quidem sententia, nam ut quidam Gaditanus rectissime quondam dixit, “*usus et experientia dominantur in artibus: neque est ulla disciplina in qua non peccando discatur*” (COLVM. 1,1,16).

Quamobrem in hoc libro commendantur inter multas diuersasque lectiones, siue in oratione soluta siue in carminibus compositas, quoddam enchiridion Latinum pueris iucundissimum a quodam magistro Dano elucubratur necnon fabula quaedam Latina

cinematographica a quodam paedagogo Bauaro parata ad descendam grammaticam (p. 354). Dolendum tamen est quod professor Stroh (uel potius domus editoria) aperte non annotauerit⁶ quae sint haec opera iuuenibus utilissima eorumque auctorum nomina, tamquam si lectoribus Hispanis notissima essent (quod abest longissime a uero): quorum altera est series illa optima librorum *Lingua Latina per se illustrata* inscripta, auctore Iohanne H. Orbergio (in dies autem clarissima)⁷, altera pellicula est cinematographica c.t. “Armillā” (adhuc obscura apud nos), in qua professor Stroh ipse particeps fuit ut consiliarius.⁸

Ego autem primum ante omnia magnopere commendo magistris professoribusque omnibus euoluere historiā hanc “reginae linguarum” et sapidissimā (cui mica salis non deest, ne sal quidem nigrum)⁹ et sapientissimā (res et historiae et obseruationes cum hodiernae tum antiquae callide arguteque miscentur)¹⁰ Latinitatis amorem redolentem per singulas paginas. Atque eam legitote, inquam, lectrices candidae, lectores beneuolentes, siue Germanice siue Francogallice siue Hispanice (breui, nisi fallor, Anglice) siue etiam compendiose Latine, quae quidem perlecta utinam plurimos alliciat ad eius usum uerum, id est ad Latine loquendum audiendum legendum scribendum, si re uera nobis optatum sit Latinitatem esse *monumentum aere perennius*¹¹.

Sandra I. RAMOS MALDONADO
Universidad de Cádiz

Antonio Ignacio MOLINA MARÍN, *Geographica: ciencia del espacio y tradición narrativa de Homero a Cosmas Indicopleustes*, Murcia, Universidad de Murcia, 2010 (*Antigüedad y cristianismo*. Monografías históricas sobre la Antigüedad Tardía, XXVII), 525 pp. ISSN 0214-7165.

Es una buena noticia el hecho de que la revista *Antigüedad y cristianismo* haya consagrado un ejemplar monográfico (el correspondiente al año 2010, aunque publicado,

⁶ Annotatiunculas certe desiderauī haud paucas indicantes locos librorum citatorum. In calce paginae 127, uerbi gratia, mentio facta est de quodam opere humanistae Francogallici Marci Antonii Mureti (a. 1583), ubi lingua Latina primum uocata esse “mortua” uidetur. At ubi librorum Mureti sententia talis contineatur, nihil dicitur. Plures autem annotationes in uersione Francogallica reperiuntur eaeque meliores et fusiores: etenim in editione Francogallica (cf. *Le latin est mort...*, o. cit., n. 23) opus Muretianum citatum est una cum sententia Latina, id est *Orationes, epistulae et poemata*, Leipzig 1698, 1,380.

⁷ Gratiae agendaē sunt maximae Societati c.n. *CulturaClásica.com* per quam series haec librorum apud nos late propagata est.

⁸ Cf. W. PFAFFEL (Hrsg.) (2005), *Armillā. Lateinischer Sprachlehrfilm*, CCBuchner (ISBN 3-7661-9590-5) DVD.

⁹ Cf. p. 144: “Dicho de manera maléuola, el *grammaticus* prolongaba el velatorio junto al féretro del latín”.

¹⁰ Videatis quid de “Nuntiis Latinis” radiophonicis ex Finnia diuulgatis exprimat postquam uersus rimati sint Horatii (p. 118).

¹¹ Speramus fore nos omnes sermonis antiquorum Romanorum amantes, ut liber alias in linguam uertatur Latinam totus. Multa autem opuscula a Valahfrido Stroh Latine composita euoluere atque audire licet in eius pagina interretiali cui inscriptio est <http://stroh.userweb.mwn.de>.